Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36566
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

29

rationis et renouationis spiritus sancti. Et alibi dicit. Haec quidem inquit
fuistis. sed sanctificati estis. sed iustificati estis. in nomine
domini nostri ihesu christi. et in spiritu dei nostri. Si enim ut diximus tangat
quis carnem ihesu eo modo quo superexposuimus tota fide. omni
obedientia accedat ad ipsum tamquam ad uerbum carnem
factum. iste tetigit carnem sacrificii. et sanctificatus est.
Tangit autem carnes uerbi et ille de quo dicit apostolus. perfectorum
autem est solidus cibus. eorum qui pro possibilitate sumendi exer
citatos habent sensus. ad discretionem boni uel mali. Tan
git quoque et ille carnem uerbi dei. qui interiora eius discutit. et
occulta potest expandere mysteria. Et si nos haberemus
talem intellectum ut possemus signacula que scribuntur
in lege spiritali interpretatione discernere. et obtectum uni
cuiusque sermonis sacramentum in lucem scientie subtilioris
educere. si ita docere posse
mus ecclesiam ut nichil ex his que lecta sunt remaneret am
biguum. nichil relinqueretur obscurum. fortassis et de nobis
dici poterat. quia tetigimus carnes sanctas uerbi dei. et sanctifi
cati sumus. Sic autem accipio et illud quod dictum est omnes mas
culi ex sacerdotibus edent eam. Nulla enim femina nec remis
sa et dissoluta anima poterit edere carnes sanctas uerbi dei.
masculus queritur qui eas edat. Masculi namque sunt qui producuntur
ad numerum. nusquam femina. nusquam paruuli numerantur.
Unde et apostolus dicebat. Cum autem factus sum uir: deposui que
erant paruuli. Talis quoque iste masculus et talis uir queritur:
qui carnes sanctas possit comedere. non in quocumque loco sed in loco sancto. [interlinear: et comedere]
intra atrium tabernaculi. Audiant hec qui scindunt ecclesias.
[illegible] et peregrinas ac prauas inducentes doctrinas. putantes
se sacras carnes extra templum dei et extra aulam dominicam posse